



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de
Coloniae Agrippinae, 1655**

Ad Lectorem admonitio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

stus Episcopus oppidis fere omnibus ac locis munitis intra breue tempus potitus est, bonam ei ac Capitulo operam auante Frederico Duce Saxonie Lauenburgico diæcesin in pristinum statum restituit. Adhuc Hulsam arcem obsidentem, præsidarij loci equum claudicantem Sanctorum statuis oneratum miserant, ad quos ille eundem lignis patibuli in formam constructis onultum, remisit. Bonnam adhuc tenebant Truchsessiani, Carolo apostatæ fratre præsidij præfecto; sed & ipsam tandem, notho Bruusiceensi, & Adolpho Nuenario, qui cum lex hominum millibus alimoniam inferre conati fuerant, profligatis, obsessa & ad deditionem coacta fuit, prædicto Carolo in Bavarie Ducis potestatem à præsidarijs tradito. Bonna reddita, ceteræ quoque arces & oppida partim vitro sese dederunt, partim vis expugnata sunt: sic ut miser hic maritus, non fortunæ tantum verum etiam Protestantijs, à quibus in tam sancta (sic enim aiebat) causa tam turpiter desertus esset, conuicium faciens, in Hollandiam se recipere, & apud Arausensem Principem per fugium quærere coactus fuerit, non multo post Argentoratum inde translato domicilio, viginti quatuor eius loci

Capitularium collegio quorundam opera adscriptus, ubi reliquum vitæ cum Agnete sua in summa paupertate exegit. Quum postea Lutheranis quidam exprobrarent, quod Truchsessium in tam bona & sancta causa deseruissent, cuius accessione ac defensione communis Protestantium causa, præsertim in suffragijs de Imperatore eligendo, multum adiuuari potuisset, responsum fuit à Lutheranis, certis indicijs sibi competum, Truchsessium ad Calvinismum magis quam ad Lutheranismum propendisse; eoque Ioanni Casimiro Palatini Electoris fratri, qui solus tum in Germania Calvinismum fovebat, & ad bellum hoc suis sumptibus vltro viginti armatorum milia coegerat, patrocinium relictum. Habes hic, Lector, paucis verbis rotam belli Colonienfis comprehensam historiam ab alijs (c) prolixè descriptam: è qua imprimis illud patet quam infirma sit ac caduca hæresis, adeo ut Catholicis, modo suis vti viribus velint, Babel hanc funditus destrueret atque extirpare facile sit futurum.

c Michaelæ Issels de bello Colonienfi libris 4.

Ad Lectorem admonitio.

Dolendum sane est, Auctorem neque extremam huic operi manum imponere, nec felicioris initium sæculi videre potuisse: quamuis eius filius, eiusdem studij ac voluntatis heres, capita quedam V. huius libri qua deerant, ac sextum integrum suppleuerit. Ut mirum non sit stili ac iudicij acrimonia quedam à prioribus discrepare. Eoque illud ubi Auctor de sanctissimo Patre Clemente VIII. Pontificæ loquens ait se eundem vidisse lectioni Passionis D. N. Iesu Christi illachrymantem, non de patre huius operis auctore, sed de filio intelligendum est, qui anno MDC. patris librum de Antichristo eidem Pontificæ Romæ exhibuit. Interim vero dum quod deest ab eodem aut alio quodam suppletur, hoc quod iam damus, vtere, fruere, ac vale.

K

FLORI-